

- 25 quom illa, quae nunc in me iniquast, aequa de me dixerit. 475
 neque mea culpa hoc discidium evenisse, id testor deos.
 sed quando sese esse indignam deputat matri meae
 quae concedat cui(u)sque mores toleret sua modestia,
 neque alio pacto componi potest inter eas gratia,
- 30 segreganda aut mater a me est, Phidippe, aut Philumena. 480
 nunc me pietas matri' potiu' commodum suadet sequi.
LA. Pamphile, haud invito ad auris sermo mi accessit tuos,
 quom te postputasse omnis res prae parente intellego ;
 verum vidē ne impulsus ira prave insistas, Pamphile.
- 35 *PA.* quibus iris pulsu' nunc in illam iniquo' sim 485
 quae numquam quicquam erga me commeritast, pater,
 quod nollem, et saepe quod vellem meritam scio?
 amoque et laudo et vehementer desidero ;
 nam fuisse erga me miro ingenio expertu' sum ;
- 40 illique exopto ut relicuam vitam exigat 490
 cūm eo viro me qui sit fortunatior,
 quandoquidem illam a me distrahit necessitas.
PH. tibi id in manust ne fiat. *LA.* si sanus sies :
 iube illam redire. *PA.* non est consilium, pater :
- 45 matris servibo commodis. *LA.* quō abis ? mane 495
 mane, inquam : quō abis ?—*PH.* quaē haęc est pertinacia ?
LA. dixin, Phidippe, hanc rem aegre laturum esse eum ?
 quam ob rem te orabam filiam ut remitteres.
PH. non credidi edepol adeo inhumanum fore.
- 50 ita nunc is sibi me supplicaturum putat ? 500
 si est ut velit reducere uxorem, licet ;